operam, non habet quo se a brutis distinguat.

Dixi. ¶

Jacobus Weissen
Wernigerodensis.

[Faint, illegible handwriting on aged paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



ORATIUNCULA

De necessitate Philosophiae.

Quamquam, si submisere, ut debeo, de me sensero, scribenda orationi meam eruditionem suffecturam esse non satis confidam, quod in hac palæstrâ parum sim exercitatus: tamen, quia hoc ipsum in consistorio Philosophico, cum à Spe^{re} Etabili viro, Decano nostro cum reliquis collegio vestro amplissimo sistebam, stipulatâ manu sub iuramento promisi, ut aliqua de re scriptum vobis exhiberem; mei sanè officij fuit, ut quod promiseram, pro more vobis, Clarissimi viri, promotores ac preceptores observandi, hoc in loco servarem.

Nunc quâ de re maximè hic locus dicere me postulat, materia sanè Philosophica erit; qua quidem hanc ad rem potissimum pertinet. Quia verò in laudes, dignitatem et præstantiam Philosophiae descendere non ausim, nec in eorundem rationem eius et utilitatem e-

usum dicere opus sit: (est enim sat familiaris hic sermo) de necessitate eius potius quaedam in medium afferre breuiter decreui. Cum non absurde loquantur Metaphysici, ut, quod necessarium est, plerumque et utile sit, et honestum, et laudabile (ita enim haec ferè inter se convertuntur) adeo, ut qui de rei alicuius necessitate verba faciat, de utilitate eius et caeteris dicere non magnopere opus habeat. Sat enim erat utile id, de cuius necessitate in vita humana constat. Plus vero, quam vesania est ac delirium, imò furor est, Philosophica studia è scholis exterminare velle: id quod satis constaret, si singularum Philosophiae partium usum ac utilitatem ostenderem, ubi forsàn nihil futurum sit, quod humana vitae non sit apprime utile. Homo autem quatenus homo est, id est, si hominis officio fungi velit, Philosophiã imbutus esse debet: quod testatum faciunt Scholastici, dum hominis esse vocant

ingenue hinc disciplina atq; humana operam
navare. De instrumentis Philoso-
phia exordiar propterea, quia naturã suã præ-
cedunt eam. Logices autem necessitatem ex
sequentibus ita colligendam censeo. Posteaquam
enim natura humana ad imaginem Dei cre-
ata de incredibili et immensã bonitate, sa-
pientiã, ac justiciã, quã Deo conformis fuit,
subitã ac deplorandã mutatione delapsa est ac
ab hoste invidio deturbata in extremam pravitã-
tem, iniusticiam, ac horrendam mentis cali-
ginem, ita ut ex prioribus dotibus homo post
lapsum exiguas retinuerit reliquias, quas
rõnõnãta et principia appellamus, quibus
numerare; turpe ab honesto discernere; ve-
rum à falso dijudicare possit quodammo-
do: sed eas adeo imbecillas, ut plerumq; va-
cillent ac aberrant, et ipsa mens labascat nec

tam cernat acutum, sicut ante lapsum omnia
recondita nature, oculis mentis obvia fuerunt;
quis quæso sana mentis homo sibi suæq; sa-
luti consultum quàm optimè nolet, si talem quen-
dam adeptus sit, qui rationis culturam tradat,
et mentis errores illi discutiat, quis quæso
hoc ipsum non patiatur? Namq; eger, mor-
bum sanari et se sanitati restitui, inprimis
exoptat. Quod si Logices beneficio scientiam
rerum in mente nobis comparamus, atq; ex pri-
mis principiis arte Logicâ extruimus demon-
strationes, quæ veritatem tenent, et in re
ipsa et in animo cognoscentis de quâ, Logicâ
destitutus quidam perpetuò dubitaret, cur
illam rejiciamus, quæ ambabus manibus
amplectenda potius erat: siquidem ars
illa nature imbecillitati subvenit, et

notiones exacuit, has coniungit, illas disiun-
git, et, quantum fieri potest, veritatem eorum
beneficio indagat. Excutimus enim Lo-
gicâ arte densas nebulas mentis nostrae,
et syllogismo arte facto tanquam faculâ
in tenebris utimur, multoq; promptiores ad
discurrendum ex usu et præceptis eius red-
dimur. Sed quid attinet adeo superflua de
hac subtili disciplinâ loqui, cuius inuentio,
usus, necessitas, nec ipsi sane rationi impro-
bata unquam est. Fallitur, qui Logicen
è disciplinis tollit. Sic si de Grammaticâ,
Pœticâ, et Rhetoricâ, ceterisq; disciplinis,
que orationem informant, oratio instituen-
da sit, non minus eius culturam improbare
poterimus, si, quae ratio in mente deotè con-
cipit, eleganter et decenter eloqui gestit.

Est enim oratio seu sermo alterum donum
Dei singulariter homini datum, quod excu-
lendum erat: siquidem labem contraxit, et
ex lapsu et ex turris Babylonica extructio-
ne. Sed carta deficeret, si de harum necessi-
tate vel mediocriter loqui velim, ~~quae~~ quae tan-
tum instrumenta habentur Philosophiae. Quas
itaque dotes, quae integra et incorrupta in sta-
tu integritatis, ut loquentur, erant, iam bonis
litteris excolere debemus, ac si pristina per-
fectitudinis, quod fieri in hac vita nequit,
esse nos restituri. Orationem informant
artes dicendi; rationem ac iudicium Logica
instruit; et mentem appetitumque Philosophia
corrigit. Philosophari autem non possumus
absque instrumentis eius: iam si per se
Studium Sapientiae necessarium est, quan-

to' magis illa necessaria erunt, sine qui-
bus nemo philosophatur. Huc referri debent
optimi quique auctores in utraq; lingua. Jam
ut ulterius progrediar, Mathematicis non minus
opus habemus quam ipso pane quotidiano;
ut etiam disciplinam Physicam, ut qui haec studia
negligant, videant ne temporis rationem amit-
tant: si quidem haec ex motu caelesti, ~~et~~ de quo
illa disciplina agunt, numeratur et computa-
tur. Si dives es nummis, expunge Arithme-
ticam si audes: si omni rerum abundantia afflu-
as, ex agris et aliunde ingentes redditus capias,
certè tollere non potes rationem dimetiendi,
lanceis, aequilibrij usum: quae omnia è ma-
thematicis dependent rationibus. Si infans et
ignorans per totam vitam esse nobis, histo-
riam cognosce; verum haec, quia in cir-

cumstantijs consistit, non satis rectè addisces
absq; studio Geographico, nec hoc absq; Sphera,
nec hanc absq; Euclide et principijs. Deniq;
cur firmata sunt caelum et terra, nisi tui gra-
tia, ut Deum in operibus eius, postquam ex
rerum cognitione, investigatione, et dili-
genti perpersione in admirationem crea-
toris es ductus, collaudes, quibus affatim
~~et~~ undiq; scatet Mathematica et Physica.
Qui enim voluptatibus carnis sunt dediti,
non curant utrum calidus an frigidus sit
Sol, an volitet in aëre, ut passeris, an verò
ventis sine inde ventilentur. Sapientia a-
matores, eiusmodi hominem bestiam vocant
et fruges consumere natum, inutile terra
pondus, in quo parum aut nihil sit mo,

deratum, ingeniosum, liberale, nec Deiti-
more percussum, à iumento nihil diffe-
rentem. Cæcutiunt si et priuantur ipso-
rum culpâ tam iucundis speculationibus,
voluntantur in tenebris et sordibus animi,
tanquam sus in sterquilinis. Hoc loco ut
Metaphysicæ præteream cuius Studium arduum
est ac diuinum planè) prolixitas sermonis et cartæ
breuitas postulat: et iam satis notum est, eam à prin-
cipijs siue notitijs primis proximè abesse, ac ma-
trem esse, è quâ tanquam primâ Philosophiâ cæ-
teræ disciplinæ omnes pullulent, quâq; veluti fun-
damento cætera nitantur, à quâ fulciantur ac
propugnentur: ideoq; Theologia et Sapientia Phi-
losopho sæpius dicitur. Ea igitur, de quâ
hactenus diximus, pars Philosophiæ, mentem
à tenebris vindicat, et penè hominem germane

sua integritati restituit (hoc erat illud hominis
esse) et tantā afficit voluptate, ut sui speculato-
rem ad alias adulterinas ac homine indignas
voluptates praecipitem ferri non patiatur. Quod
ut ne fiat, restat altera pars, quae sicut prior
mentem et iudicium hominis informavit; ita haec
voluntatem et liberum arbitrium moderatur, dirigit,
et ad dictamen suavisq; rectae rationis ~~flexit~~
flectit. Traxit enim et alterum hoc vitium è la-
psu natura humana, ut nisi rectā ratione, quae ut
rex in aulā imperat, coribeatur, anima sua spon-
te remis vehisq; vitiosis actionibus se commaculet,
et ad malitiam magis, quam ad bonitatem inclinet.
Hunc verò peruersum sensuum appetitum origi-
nem sumpsisse à mentis obscuratione et deprava-
tione, haud est paradoxum. Nam ut belli
dux si quando aut necatus est aut captivus abre-
ptus, reliqua acies facile in fugam vertitur
aut prosternitur: sic obscuratā et deperditā

Principaliori hominis parte, illico cetera etiam
animae potentiae perditioni obnoxia facta sunt. Sed
ne nimis digrediar, inventa est et huic malo me-
dicina. Practica enim pars docet mentem
primò verum discrimen honesti ac turpis, quo co-
gnito deinde hominem ab errore reflectit, et ad
virtutis amorem ac honoris inflammat, ita ut
edoctâ mente, quodnam sit summum bonum; ac
imperante, appetitus facilis promptusq; efficiatur
ad persequendum illud. Jam si summo bono
omnes, qui desperati non sumus, sed sana men-
tis, indigemus, quam necessaria erit hæc doctrina?
Atqui homo ad felicitatem creatus est, et natura
ad electionem boni et fugam mali: quod etiam
in brutis apparet. Quaeso igitur, quomodo
non erit necessaria ea disciplina quæ homini
misero hoc bonum præstet? Desperatis sanè, et
qui nullius frugi sunt homines, si quis de vir-
tutis studio ad illos disserat, somnia sunt,

et veluti surdo fabulam narrare videatur. Nos
verò Christiani, qui præter id (quod etiam gen-
tes auguratae sunt, sc. fore aliam vitam, ubi
virtutem premia, vitia poena maneant) insuper
è sacris litteris didicimus, aliam vitam superesse,
ubi bonis bene sit, et malis male; sedulo ca-
veamus, ne Epicuri sectæ adseramur: sed spe
salutis futurae omni conatu malis obstitamus, et
ad summum bonum percipiendum remis velisq;
tendamus, interim ut strenui milites in ordine
ac officio manentes, ad finem vitæ constantè
mitemus: Deoq; opt. max. gratias agamus
pro revelato mysterio, et sincero ac sobrio veræ Phi-
losophiæ usu. Quanta igitur sit neces-
sitas Philosophiæ, ex his quæ dicta sunt breviter,
aliquo modo appareat. Quantum conferat
tribus facultatibus, dici ferè non potest. Ego
equidem ad Studium Sapientiæ animum adpuli


Satis enim, quod ut postea magis magisque faciam,
Deum diligenter orabo.


Dixi.


Andreas Polemā Verd.


[Faint, illegible handwriting in a historical script, possibly Gothic or similar, covering the page. The text is very faded and difficult to decipher.]











DE HONORE.

Est hoc in instituto majorum et consuetudine positum, amplissimi et clarissimi viri, doctores et preceptores imprimis honorandi, ut ij, qui preclarissimorum virorum beneficio testimonium et honores doctrinae suae consecuturi sunt, eam scriptam exhibeant orationem, qua indicium eruditionis suae cum ipsa dicendi materia jungant. Qua in oratione plerique hoc perficiunt, ut non solum digni petitis honoribus reperiantur; verum etiam majoribus insigniendi videantur. Mihi quidem hoc consequendi facultas non datur: illud si obtinero, me oleum et operam, qua haecenus impendi literis, non perdidisse putabo. Ne
itaque

itaque legibus et officio desim, quandoquidem et
go sum in competitorum numero; argumentum non
de asini, quod ajunt, umbra, sed de eo, quod loco
et tempori maxime conveniens; et precipuum
ad humane vite actiones secundum virtutem in
stituendas calcare habere videtur, pertractandum
assumam. Quod si ea, qua par est, ingenij felici-
tate non perfecero, vestre humanitatis erit, quod
modeste a me tentatum est, non contemnere, sed
existimare me ipsius rei dignitate, quam θεῖον
ἀγαθόν Plato appellat; Homerus autem ex Iove
esse dicit, facile superari potuisse.
Itaque ne diutius suspensa expectatio vestra tenea-
tur, de honore quid sentiam; quomodo appetendus;
et qua

et qua ratione acquisitus optimè conservandus sit,
breviter pro ingenij tenuitate dicant. Vos quaeso,
ut benignas mihi aures accommodetis.

Honor Græcè τιμή ab alijs aliter definitur. Qui-
dam honorificam de aliquo opinionem dicunt, sed mi-
nus appositè. Is enim, ut testatur Scaliger exercit.
318. adversus Cardanum, non tantum in animo po-
situs est, verum etiam in dicto et in facto consi-
stet. Ac proinde neq; illa Ciceronis definitio, quæ
honor est premium virtutis iudicio, studioq; civium
delatus ad aliquem, undignaq; convenire videtur.
Omnia enim, quæ ad exemplum fiunt, et non ad præ-
mium, utpote elogia, predicationes, prelationes, re-
munerationes et asurrectiones excludit potius, quam
ut includat. Julio Scaligero est officium debitum
virtuti, ejus meritum representans. Aristoteles, ut
omnia

omnia accuratè 1. Rhet. 5. cap. benefice opinionis
signum definit. Non vocat opinionem sive existima-
tionem de aliquo, quæ uti est indifferens, æqualiter se
habet tam ad verum et bonum, quàm ad falsum et ma-
lum. Non beneficam tantum de aliquo opinionem, sed
signum quod ex illa benefica opinione proficiscatur
appellat. Non enim honor illa, quæ in hominum ani-
mis circumfertur, opinione contentus est; in quo fama
ferè desinit: verum uti famam longè superior est, i-
ta etiam longo intervallo illam post se relinquit,
et in amoenissimis historiarum, orationum, car-
minum et sententiarum monumentis sese mortalibus
exhibet, perq; splendidissimas aedes, delubra, statuas,
templa magnificè extructa inclarescit. Tunc tam-
tam apud omnes auctoritatem consecutus est, ut
nemo hominum

nemo hominum sit, qui non illius amore teneatur.

Quid? quod ipsa virtus huic tanquam pulcherrimo
masculo nupsisse videtur. Vt enim illa sibi sit ad fe-
licitatem sufficiens: si mutuo sponsi amore et amplexu
frustetur, quoties languescentem et quasi emortua es-
set, decumbentem videmus? Nec id mirum quidem,

cum honor externorum bonorum sit potissimum, et
ut Aristoteles 1. de morib. 3. cap. inquit; τὸ πολιτικὸν
βίῃς χερδὸν τὸ τέλος. Id quod diversissima humana-
rum rerum studia testatum faciunt. Vt enim de
bonarum artium cultoribus nihil dicam, qui honorem
merentur prae reliquis; ipse etiam vulgus ex levissimis
saepe rebus gloriam aucupatur et captat avidissime.

Cum enim honori tanta intercedat cum virtute conjun-
ctio, ut aetior esse vix possit, ne contemntes hanc,
ab officio suo discessisse et omnem honestatis curam
abiecisse

abieciſſe videantur, illum divitijs, opibus et alijs qui,
bus poſſunt, officijs ſibi conciliant, quo conſecrato eti,
am de ſe aliquam virtutis ſpeciem edant. Sic mul,
tos per fraudes et ſcelera ad imperij dignitatem aſcen,
diſſe legimus, quos cum nulla moveret honeſti ratio,
movit tamen honor, qui perpetuo aliquam boni ſuſpi,
cionem in honorante preſupponit. Itaque recte cecinit

Ovidius: Excitat auditor ſtudium, laudatque virtus
Creſcit, et immenſum gloria calcar habet.

Quoties enim preclara fortiffimorum virorum facta
nobis in hiftoricis proponuntur? ubi heroes nulla
utilitatis ſpe ductos, quippe cum mors eſſet propoſita,
acerbiſſimos pro patria caſus ſubiſſe videmus. Solus
honor et immortalis fame gloria M. Curtium abru,
pto per medium forum Romae ingenti ſpecu in ſian,
tem terram coniecit. Quid autem dicam de alijs?

Certe

Certè nullius boni iacturam tam iniquo animo pati,
untur homines, quàm honoris et glorie. Divitias
viri et amissas opes reparari posse statuunt, honestam
famam minimè. Communis hominum sententia id confir-
mat: Omnia si perdas, famam servare memento,

Qua semel amissa postea nullus eris.

Nec desunt, qui, cum multas virtuti consentaneas a-
ctiones præstant, propter honorem id faciant. Quo qui-
dem vincitur, virtutem non semper seipsa contentam
esse, sed ad aliud bonum sepe aspirare. Quamquam
hoc liberius à me dici videatur, quod honori tribuam,
quæ virtuti deferenda fuerant: si tamen indissolubilem
utriusq; nexum consideraverimus, neq; vera laus huic
detracta, neq; falsa illi afficta esse videbitur. Nisi
enim bona de aliquo opinio, quam ut plurimum virtus,
sepe etiam error inducit, honorem tanquam internuncium
ad virtutem remitteret, se suo caruisse premio sæpissime
conquereretur.

conquereretur, et apud magnanimos si non extingueretur,
certe flaccesceret. At cur tantas honori vires ascribi
posse negemus? Ipsa oculorum sensus et aurium id
nos credere vel invites cogit. Quis enim non vi-
det eos potissimum, qui ad agendum idonei sunt, sum-
mo studio in id incumbere, ut honorem tanquam amicum
singularem quibuscumque possint officiis sibi devinciant,
ac concilient? Cuius ad aures non pervenit acerbissi-
ma multorum etiam clarissimorum de honore con-
tentio? Ipse Cicero tantam honori vim tribuit, ut
illius causa inimicitias maximas saepe inter amicissi-
mos extitisse affirmet. Quae cum ita sint, quis non
videt de honore honorifice sentiendum esse, qui tan-
quam comes individuis virtuti conjunctus est.

Reliquum est, ut quomodo honor acquirendus
sit, paucis dicamus. In quo genere multum studij
ponendum

ponendum videtur, ne vel Φιλότεμοι efficiamur, vel
αὐτοφιλότεμοι, quorum neutra quidem probanda est sen-
tentia. Non enim cum illis nostra consentire debet ora-
tio, qui pecudum instar ocio dediti honorem et gloriam,
quae magno apud omnes in precio sunt, nibili faciunt, et
neglectam animi culturam tantum in hoc sunt, ut corpori
satisfaciant. Illis enim quomodo coetera magna erunt,
quibus honor in rebus parvis numeratur? Neque etiam illos
iure commendabimus, qui ne ex honestis quidem rebus
honoris adipiscendi consilium capiunt, sed tum offensi-
onum, tum repulsarum quasi quandam ignominiam ti-
mentes et infamiam, illius curam prorsus abijciunt.
Id quod angusti et humilis animi, bonis seipsum de-
fruantis indicium est. Delenda est itaque illa à mul-
tis suscepta opinio, quae penitus insedit atque inveteravit in
otiosorum et timidiorum animis, qui se potius latebris oc-
cultare volunt, quam per virtutes emergere et in luce
versari

versari. Atq; hæc dum contra honoris contemptores nostra
dicit oratio, non illos continuo laudat, qui nimia ho-
noris cupiditate inflammati, unde non oportet, hono-
rem aucupantur. Hi enim vel eo magis culpandi
videntur quam illi, quod non solum honoris studiosiores
sunt quam oportet, quod in magnanimis et fortibus viris
aliquando non vituperatur: verum quod etiam præter me-
ritum et dignitatem res amplas et honoratas conantur
et suscipiunt, quibus sustinendis et defendendis impa-
res sunt. Qui etsi mali minimè videntur esse, cum ni-
hil maleficii in quengquam admittant; verum tamen
peccant, et à vero, quod omnes amplecti decet, ab-
errant. Equidem sic existimo, illos, qui se
laudis studio trahi et honoribus delectari sentiunt, in
illo imprimis suam operam collocare debere, ut vir-
tutibus animum excolant, et se bonos esse, re ipsa de-
monstrent

monstret. Cum enim solus vir bonus honore affici-
endus sit, ut Aristoteles inquit 8. cap. lib. 4. Ethic. Et
quo quisq; bono aliquo magis excellit, eò honoratior sit,
neminem rectius aut propius ad consequendos honores iter, quam hoc,
ingredi posse iudico. Non autem à quibusvis homi-
nibus laudem captare convenit, sed à bonis. Etenim à
sceleratis scelerabse ipsa scelera commendari: ab belluoni-
bus potatores strenuos: apud libidinosos, amatores, Veneres,
aleatores in maximis honoribus similes, prepostero sane iu-
dicio recenseri consueverunt. Quorum omnium vitupe-
rationes uti rectè spernimus, ita etiam eorum laudes
non magni aestimamus. Οὐτὸ γὰρ ὁ ἔπαινον
ἔστι καλὸς, ὃν ἔπαινον ὑπ' ἀνδρῶν ἀξίων
πιστεύειν. Sic ergo honoris appetitio moderata
et affecta sit, ut irascendi appetitū rectè composito
constanter seligat id, quod decet, ita ut ne modum
deserat, quod angusti, parvique animi est: neq; etiam
superet

superet, quod elati est ac superbi.

Restat, ut quam ratione acquisitus honor conservandus sit, paucis dicamus. In quo maxime laborandum est, ne forte à nobis, quae diligentissime providenda sint, contemnenda esse videantur. Atque hic illud Poëte nobis considerandum est, qui inquit:

Non minor est virtus, quam quærerè, parta tueri,
Casus inest illis, hic erit artis opus.

Honorem enim, opes et divitias, aliaque bona, quae tam anxie et sollicitè quærant homines, et vix multis laboribus et curis obtinent, postquam acquisita tandem sunt, profunderè, aut omnem eorum conservandorum curam abjicere, quid aliud est, quam laborem serere aut cri-

bro aquam haurire, et quod multi faciunt, sibi ipsi malum accersere. De quibus Psalmus 49. conqueritur: Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similibus factus est illis. Illud itaque sapi-

entis

entis omnibus in conspectu sit, qui tales nos esse jubet, qua-
les videri velimus. Id quod etiam Horatius in epistola
ad Quintium bene monet:

Tu rectè vivis, si curas esse, quod audis:

Jaetamus iam pridem omnis te Roma beatum:

Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas,

Non enim in expetendis honoribus audacia licet uti pro sa-
pientia: neque etiam aliorum de se iudicio atque orationi ma-
ior fides habenda, quam sibi suaeque conscientiae: sed illud
in primis considerandum, quemadmodum pulcherrimum
sit magnam doctrinae gloriam et honorem consequi:
sic turpissimum esse, illud, quod acceptum est, fueri et con-
servare non posse.

Quare cum tam eximius sit honor, ut negligi non
velit: tam gravis, ut moderatè appetendus sit: tam no-
bilis, ut accuratissime administrandus sit, quis non lau-
datissimam illam consuetudinem, vestramque voluntatem et
sententiam, quae hoc tantum boni, quod à Dijs immortalibus,
ut Cicero ait; oblatum et datum est, in honestos ju-
venes, sum ad confirmandum in illis bonarum artium

studium; tum etiam ad majorem industriam excitandam
confertis, laudandam et comprobandam censeat.

Equidem quicquid in me est studij, doctrinae, virtutis,
et ingenij (quod sanè exiguum est) quicquid vestro be-
neficio: quicquid cura, labore, industria: quicquid votis
possum: id omne vobis preceptoribus meis aeternum co-
lendis polliceor et defero.

In inclita Julia Helmaestadij IV. Calend
Novemb. Ao. 1691. *L*

Theodorus Berckelman.

Discursus Philosophicus, generalissime
et brevissime nonnulla de Philosophia
introducens.

De Philosophia multi multa loquuntur. Ego, ut scribo
de ea, pro ingenij mei modico, disseram primò de eius
origine, Definitione, ac Divisione agam: idò quibus
nam terminis contineatur, indicabo; sed singula bre-
vissime percurram.

Originem Philosophiæ quod attinet, eam à Christiano religio,
et perfectius, ac à non-Christiano spectari posse, equi-
dem puto. Licet n. homo non-Christianus eorum
pervenire possit, perveniat quòq; imò omnes literati
fere pervenerint (quod certe debuerunt quia potuerunt)
ex Ratione humana, beneficio Luminis, à summo Ente
in eadem accensæ, eam originem ducere, et constitutam
esse: attamen non ita ex parte, ac distinctè demonstrare
possunt. Sed homo Christianus primam
Creationem, beneficio Luminis fidei, ex verbo revelato con-
siderans, facit clarè, perspicuè, ac perfecte determinat
ac definit, de Philosophiæ origine quid sentiendum sit.
Invenit eam primò hominem ex corpore et anima rati-
nali, in os auctoris auctis, constantem; Corpus quidem
ex terra rufa, singulari operatione divina formatum,
ut cum anima auctum, ad nobilissimas actiones concurreret:
Animam verò essentiam spirituales, ex nihilo in



stiffando per Creationem homini inditam. Cuius
facultates naturales sunt Mens, Voluntas, et Affectus.
Mens talis est facultas, quae intelligentiam, cognitio-
nem, iudiciumq; praestat. Voluntas est facultas
qua anima spontaneo motu eligit, aut repudiat
obiectum. ~~Quae sunt facultates, quae in~~
Cum hinc insunt ~~quae sunt~~ desideria, et affectus, quibus
vel ad appetendam, vel ad expellendam, ad odium, vel a-
morem animus vertitur. In Mente, seu intellectu accen-
dit Creator lucem naturalem, quam naturaliter homo per-
spicit, iudicat, conscientiamq; iudicium naturale comple-
ctitur. praeterea hominem singulari, certoque consilio
masculinum, et foeminam factum, ea benedictione Ge-
ator exornavit, ut crescere, generumq; suum per providen-
tia divina efficaciam, propagare poterit. idq; ut
legitimè fieret, coniugium inter duos instituit, quae in
Una carne viverent, nec non oeconomiam administrarent;
et paternam primo, deinde heroicam imperium ad ex-
ternam generis propagandi conservationem, instituit.
Haec ut singula legitimè administrarentur, in stan-
tavit Creator Menti legem naturalem, cuius beneficio
hominum gubernatio, societateq; dirigeretur. Haec Ethica
et politica disciplina sunt constituta. Eiusdem con-
templationi proposuit Creator Coelum, eiusq; luminaria
et oes res sublunarias, ut natura illorum cognoscere-
tur, et fructus, ususq; cognosceretur, nec non ad commoda

Vita converterentur singula. Unde Quisita Mathematica
sunt hausta. Idem homo naturali rationis lu-
mine discernendo inquirebat, pervidebat, et iudicabat
naturaliter omnia huius facultati subiecta, et con-
cepta, iudicataque orationis beneficio foras proferebat.
Hinc Logica disciplina nata fuit.

Hic quidem ulterius progrediendam esset, ac de eadem
idem perfectione, atque excellentia ante lapsum. de-
iuncta perfectione eandem iam post lapsum, et restau-
ratione dicendum: Verum, ne praeter iustitiam ratio-
nem discursus hic exproscat, caveas hoc praeteres, et ad
Definitionem, Divisionemque ista pergo.

Philosophiam antequam definitam, simpliciter eius arguatur
sine mentionem facere debet. Seditur n. interdum ista
pro ipso scientiarum, et prudentiarum habitum in
mente hominis: interdum pro comprehensione precepto-
rum, ex quibus ista habitus arguuntur. Priori acce-
ptione, eam dico esse divinis sui cognitionem, quae omnia
illa contempletur, quae Deus in hac veram naturam con-
templanda proposuit, et mores nostros ad honestatem
informet. Posterior: Compagem scientiarum ac
prudentiarum, debito ordine ac methodo conformatum.

Definitiones, seu descriptiones hanc speciatim ex-
aminare scripti cuius ratio non fert.

Definitam potius potius simplex manere debuisse cogitavit.
Est quidem non nihil modestia Pythagorae, imbecillitatem
ingenij iugenda fatentis, et soli Deo cogitavit tribuere.

veram in veram adpellatione si spectandam est, quid
nos possimus, quid non possimus; certe nulla iam erit do-
ctrina, nulla virtus, cui non sit nomen quod proponendum.
Potius itaque ex ipsius rei natura, et non ex ingenij hu-
mani viribus rei nomen constituendum.
Ex definitione philosophia (in primis acceptione) partes eius-
dem supradictas, constituuntur, quod ex obiecto videlicet
in quo tractando occupata est. Quia enim omnis disci-
plina rem aliquam tractat: etiam ex ipsarum verum
diversitate, harum diversitas necessariis sequitur, et nasitur,
singularumque natura derivatur. Duo a potissimum sunt
verum genera: Alia per se semper sunt, et nunquam fiunt
aut fiunt quidem, non tamen a voluntate nostra, sed a na-
tura, per certas causas operante, cuiusmodi sunt res
naturales omnes, quae necessariae et sempiternae dicuntur.
Alia sunt, quae ab hominis voluntate pendent, quoniam
earum facere, vel non facere ⁱⁿ arbitrio nostro potestum est
et ita esse, et non esse arbitratum nostro possunt, contra-
gentes dicuntur. Hinc quoque duo disciplinarum genera
quorum unum versatur in iis, quae a nobis fieri possunt: al-
terum in iis, quae non a nobis fiunt, sed vel semper sunt
vel certis aliis causis, extra nostram voluntatem pro-
cedunt, consequuntur. Epitheta duplex earundem finis et scopi
eruntur. Nam illas res, quae efficere non possimus, eo tantum
confilio contemplamur, ut eas cognoscamus, non ut efficiamus:
earum vero, quae facere possimus, ideo consideramus, ut efficiamus.

mūs: quod si eandem quoque cognitionem quaerere videamus,
scopus tamen principalis non est cognitio, sed operatio.
Hae quum ita sese habeant, disciplinae illae, quae in rebus
necessariis versantur eo tantum scopo, ut earum cognoscimus,
merito scientiae contemplativae adpellatae sunt, quarum
tres numerantur, Metaphysica, Cosmica, et Mathematica.
Reliquae, in contingentibus occupatae prudentiae dicuntur
sunt, quarum etiam tres, Ethica, Politica, et oeconomica.
Illa vocantur pars Scientiae theoretica, cuius finis cognitio:
Haec practica, cuius finis actio, seu operatio, uti ab
Aristotele id prolixius lib. 1. de Nat. Leg. c. 2., ex quo haec
ferè à verbo ad verbum desumpta deprehenduntur pertinet.
Itaque singulari speciatim subdivisione ut subjacet
hinc oportet esse, haec arbitror. Hae itaque de Divisione
Scientiae in praesentia sufficiant.


Ex Obiecto Scientiae, quod superius dixi esse res omnes
à Deo creatas, quarum investigatio et cognitio quae
philosophicarum scientiarum parit spatium ulterius, quibus non
terminis circumscribitur cognitio philosophica. Theo-
retica n. Scientia pars tantum in suo obiecto versatur:
in suo obiecto, et ad suum tantum finem, occupata et pra-
ctica, ut nihil, quod mysticam sit, et ad fidem pertineat
sibi vel haec, vel illa vendicari vendicare debet, aut possit.
Latius enim diversa Scientia non patet, quam ratio natu-
ralis, nec latius extendi debet, aut potest, quam lumen na-
turae splendet, uti ex origine eius, et alijs argutis abunde

patet, et si opus esset, sat perspicue deduci et proba-
ri possit. Intra Naturam itaq; arbitrium conclusituri:
hanc ~~que~~ superant, et ad lumen fidei pertinent, ea nec
Philosophia, nec illa eius pars sibi vindicare debet, nec natu-
ralia eam separata naturalibus commiscere. Naturalia
ut sunt ita et maneant cancelli, ^{et similiter} diversa Philosophia
et doctrina, sapientia, scientia, prudentia, omnisq; in uni-
versam cognitionis, ex ratione naturali, beneficio lu-
minis naturae, ex naturalibus, naturaliter hausta, argu-
menta, quae ita comparari potest: haec non transien-
dat, in suis, naturalibusq; maneat.

Itaq; haec pro more, et integritati meae ratione de Phi-
losophia generaliter, et brevis proponere volui. Si
aliquid error forte à me commissus est, ignoscat mihi
quiesco, interim recta semita ostendat. Deus opt.
max., Philosophia dator et autor, studia nostra spiritu
suo sancto regat ac gubernet, ut perveniat ad sui divi-
ni nominis gloriam, et salutem animarum nostrarum
Amen

Petrus Probst Riccia
gerulifanus Saxo.

Donum in hunc honorem
haberi
L. v. 7. 10.



DECANUS ET PROFESSORES
Collegij philosophij in Acad. Julia
quae est Helmstaedij omnibus hinc
literas lecturis S. D.

Ueniamodum in bene constitutis Rebus pl.
diligenter cautum videmus, ne quibusvis sine discer-
mine ad officia publica et dignitates aditus pateat:
Ita et in sedibus amplioribus. quam consilio constitutum
est, ne quis pro libito quemlibet sibi locum sumat,
aut temere in quamlibet doctrinae et professionis
partem irrumpat. Nisi enim a Sapientissima
Vetustate desineta essent progressuum et comparata
Eruditionis metra, quis dubitaret, quin maxima
confusiones impudenter se imperitissimis quibuslibet
ad aequum cum ingentibus et honores non meritos
usurpantibus, in dies oriuntur. Ut autem si progressus
cognoscerentur et notum fieret, qui praeceteris digni-
tatum titulis ornandi atq. donandi, nec non ad fun-
ctus adsumendi essent, necessaria imprimis fuit ingeniorum

171

82



et morum exploratis, ut censura de cuiuslibet profectibus
et morum integritate fieret. Hac ad submovendos a
doce de minore imperitos et praecavendum ne alijs quia
spectata Eruditionis et Virtutis hominibus tam pro
clarum officium committeretur, ratio visa e' amplius
ma. Mas opere igr probamus ingeniam et generosam
sunt in delum eorum, qui diligentem in studijs
et iudicium profectuum de dissonantia et Eruditione
sua expectant et examini se subijciunt ut publice
profectus Eruditionis et Virtutis suae testimonium
et honorificum dignitatis gradum consequantur
Hoc sane consilium fuit honesto et Erudito N.
N. qui in Academia nostra in addiscendis bonis
artibus et studijs philosophicis humanam et divi
nam navavit operam et ita apud nos dixit, ut
nihil nisi quod honorificentissimum est, de ipso pro
dicare possimus. Cumq. sua diligentia, industria,
Eruditionis, et morum integritatis testimonium de
votum e' utile sibi fore putaret, non dubitavit se

domi

Insensura Professorum submitti, et subin de invenio et
~~...~~ Vita probitate iudicia. In Examine
igitur rigore ordinis juxta studiorum Philosophico,
sem feriem in sitis, ita nobis narratam in bonis artibus
Philosophia probavit operam, ut omnium examina,
magnum ~~...~~ approbatione dignis iudicatis sit, cui
merito titulus Magistrorum conferatur. Deprehendi
tamen in eo Eruditionem valde laudabilem, et pro
gressus in studiis Philosophicis minimi contumacia
eos. Nosimus etiam ipsum abhorere a fanaticis opi
nionibus et amplecti veram et genuinam Ecclesie
Catholicae doctrinam, expressam in scriptis Prophe
ticis et Apostolicis et summam repetitam in libro
Symbolis, Apostolice Fidei et Athanasianis
in Augustana confessione, eiusq. Apologia, in
articulis Smalcaldicis et utroq. Catechismo
Luthey, ac etiam de eo sperem concepimus,
quod ad amplificandam divini nominis gloriam,
et operum artium propagationem, utique
et salutarium organum sit futurus. Ob has


sonarum

#postulatj


igitur causas ego N. N. N. ⁺ artium M. &
Philosophia Doctor et pro tempore facultatis philoso-
phicae Decanus, consentientibus suffragiis collegarum
meorum, et consensu Reverendissimi & Illustri-
ssimi ac Domini Dni HENRICI JULII Episco-
pi Halberstadensis Ducis Brunsvicensis & Lüne-
burgensis, huius Academiae Rectoris & Cancellarii
perpetui hinc egregie docti Viri. N. N. sum-
mum in Philosophia gradum post multiplicem an-
suram et iustam cum eruditionis, tum pietatis
explorationem cum omnibus ornamentis hono-
ribus et privilegijs quae huic ordini ac dignitati
à Laudatissimis Romanorum Imperatoribus
ac Regibus clementer concessa sunt, aereus &
publici in praesentia omnium ordinum et totius
Catholici caelis renunciarj. Quod si porro
nos hunc Dnum Magistrum N. N. omnibus
bonis et optimarum artium et linguarum studiis
optime sentientibus Viris, de meliorj nota commen-


dan

namus, rogamusq. ut hunc amicum nostrum eiusq.
bonos finos ad Ecclesiam et Republicam su-
vandam conatus quibus posunt humanitatis
officijs prosequantur. Nos vicissim ut par est,
et ipsius et nro nomine gratitudinem et oia qua
a nobis praestari poterunt benevolentiae officia,
omnibus et singulis promittimus & pollicemur.
Vt vero his literis habetur fides eas Deca-
natus nostrij sigillo obfirmavimus. Data
Helmstedij in Academia Julia
Nonis Novemb. MDCLXX.










V 17



...p... h... et v... h...
... h... **X** m... h... **X** ...
... u... **X** ... n... que tibi
... pro ecclesia tua sancta catholica
... pacificae custodie. adiuuare. et regere
... toto orbe terrarum. una cum familia tua
... non. Rege. nro **S** ... **S** et
... orthodoxis catholice et apostolice fidei
... **M**emento dñe famulorum famu-
... **S** et omni circumstantium quorum
... fides cognita est. et nota deuotione pio qui
... tibi offerimus. et qui tibi offerunt hoc
... fiam laudis pro se suis et omnibus pio re-
... tione animarum suarum. pio spe salutis. et
... incolumitatis sue tibi reddunt vota sua
... eterno deo unius et uero **X** ...





9.
nma
M IVVEN-
M
A IVLIA
O P A-
P. P.
ADI,
COBI LVCI,
KIV.

